



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**In Causa Religionis Miscellaneorum Libri Tres In Diuersos  
Tractatus antea non æditos, ac diuersis temporibus,  
locisq[ue] scriptos digesti**

**Cochlaeus, Johannes**

**Ingolstadii, 1545**

**VD16 C 4328**

VIII. Confessio Buceri & aliorum facta Vuittenbergae coram Luthero 23. die  
Maij Anno 1536. Transcripta ex autographo Melan. Anno. 1540. Cui  
adiuncta est quaedam Lutheri & sociorum eius determinatio ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29563**

# MISCELLANEO

RVM LIBRI TERTII

Tractatus Octauus.

## CONFESSIO BVCERI ET

aliorum facta Vuittenbergæ in ædibus Luthes

ri XXIII. Maij, Anno

M. D. XXXVI.

Ex autogra  
pho Philip.  
Mel. Hage  
noia 8. Julij,  
1540.



Cōfessio de  
Eucharistia.

Hęc omnia  
sine scriptu  
ris dicuntur,  
& humana  
commenta  
sunt.

Vdiuimus D. Bucerum, explicantem suā  
& aliorum, qui una adfuerunt, sententiā de  
sacramento Corporis & sanguinis domini  
hoc modo. Confitentur iuxta uerba Ire  
næi cōstare Eucharistiam duabus rebus,  
terrena & cœlesti. Itaq; sentiunt & docēt,  
cum pane & uino uere & substantialiter adesse, exhiberi &  
sumi corpus Christi & sanguinem. Et quanquam negant  
fieri transubstantiationē, nec sentiunt fieri localem inclusio  
nem in pane, aut durabilem aliquam coniunctionem extra  
usum sacramenti, tamen cōcedunt, sacramentali unione pa  
nem esse corpus Christi, hoc est, sentiunt porrecto pane si  
mul adesse et uere exhiberi corpus Christi, Nam extra usum  
cum adseruatur in pixide, aut ostenditur in processibus,  
ut fit à Papistis, sentiunt, non adesse corpus Christi. De  
inde hanc institutionem sacramenti sentiunt ualere in eccle  
sia, nec pendere ex dignitate ministri aut sumentis. Quare  
sicut Paulus ait etiam indignos manducare.

Ita sentiunt porrigi uere corpus & sanguinem dñi etiam  
indignis & indignos sumere, ubi seruant uerba & institutio  
Christi

Christi, sed tales sumunt ad iudicium, ut Paulus ait, quia ab utuntur sacramento, cum sine poenitentia & fide eo utantur. Ideo enim propositum, ut testetur illis applicari beneficia Christi, & fieri eos membra Christi, & abluere sanguine Christi, qui agunt poenitentiam, & erigunt se fide in Christum. Cum autem pauci conuenerimus, et opus sit utrinque, hanc rem ad alios concionatores & superiores referre, nondum licet nobis de concordia pacisci, priusquam ad alios retulerimus. Cum autem confiteantur omnes, se iuxta Confessionem & Apologiam Principum Euangelium profitentium, in omnibus articulis sentire et docere uelle, maxime cupimus sarciri & constitui concordiam, & spes est nobis, si reliqui utrinque ita consenserint, solidam futuram esse concordiam.

## Subscripserunt.

D. Vuolfgangus Capito.	Martinus Lutherus.
M. Martinus Bucerus.	Casparus Creutzinger.
Martinus Frechus.	Ioannes Bugenhagius
	Pomeranus.
Jacobus Otherus.	Philippus Melanch.
Bonifacius Lycopste. } Aug.	Iustus Menius Isenaten.
Vuolfgangus Mus. }	
Geruasius scholasticus Mem.	Fridericus Myco. Gotensis.
Ioannes Bernardi Franfor.	Mattheus Albert. Reutlin.
Marti. Germani Francfor.	Ioan. Schnadin.

## DE BAPTISMO.

DE Baptismo infantium omnes sine ulla dubitatione consenserunt, quod necesse sit infantes baptizari. Cum enim promissio salutis pertineat etiam ad infantes, & pertineat non ad illos qui sunt extra ecclesiam, necesse est eam applicare infantibus

X x 2 bus

bus per ministerium, & adiungere eas membris Ecclesie, Cumq; de talibus infantibus, qui sunt in Ecclesia, dictum sit, Non est uoluntas patris, ut pereat unus ex illis, Constat infantibus per Baptismum contingere remissionem peccati originalis, & donationem spiritus sancti, qui in eis efficax est pro ipsorum modo.

Quæstio de infantib. De qua fabulatur sine scripturis, cōtra uirtutem Baptismi à deo institutam.

Reijcimus enim errorem illorum, qui imaginantur infantes placere Deo & saluos fieri sine actione aliqua Dei, Cum Christus clare dicat, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto non potest &c. Etsi igitur nos non intelligimus qualis sit in infantibus, tamen certum est in eis nouos & sanctos motus effici, Sicut & in Iohanne in utero noui motus fiebant. Nam etiamsi non est imaginandum, quod infantes intelligant, tamen illi motus et inclinationes ad credendum Christo & diligendum Deū sunt aliquo modo similes motibus fidei & dilectionis, Hæc dicimus, cum infantes fidem habere dicimus, Ideo enim sic loquimur, ut intelligi possit, quod infantes non fiant salui & sancti sine actione diuina in ipsis. Quanquam igitur mos est alicubi, ut certis diebus publice administraretur Baptismus, tamen docendi sunt homines, si quid periculi est uitæ infantium, ut eos interim baptizari curent, & ministri debent talibus impartiri.

Subscriberunt qui supra.

#### DE ABSOLVTIONE.

Et hic sine scripturis colloquium faciunt ex homologesi seu confessione peccatorum,

**D**E absolute optant omnes, ut in Ecclesia etiam priuata absolutio conferretur, & propter consolationem conscientiarum, & quod ualde utilis est Ecclesie disciplina illa, In qua priuatim audiuntur homines, ut imperiti erudiri possint. Nam pfecto tali colloquio & examine opus est rudiioribus. Neq; ideo uetus confessio & enumeratio delictorum probanda aut requirenda est, sed colloquium illud propter

ter absolutionem & institutionem conseruetur. Id, qui supra subscripserunt.

*QVATENVS AD MAGISTRATUS Ciuilis officium pertineat abdlere impios cultus.*

**D**E officio ministrorum Euangelij certum est, q̄ tantū uerbo, hoc est, docendo, debeant reprehendere impios cultus, & proponere pios cultus, Nec debent ministri Euangelij ulla ui corporali prohibere impios cultus, sicut Paulus ait. Arma militiæ nostræ non sunt corporalia. Imo nec magistratus Ciuilis debet ritus mutare, priusq̄ populo tradita sit pia doctrina, quia mutatio sine doctrina non prodest conscientijs, imo potius perturbat & conscientias et respub. Quare ante mutationem docendi sunt homines, Vbi autem populus iam audiuit piam doctrinam, Ibi quæritur de officio Magistratus, Et de hoc officio debent ministri Euangelij docere pios Magistratus, sicut de cæteris bonis operibus homines in qualibet uocatione doceri debent. Iuxta illud. Omnis scriptura diuinitus inspirata utilis est &c. ad omne opus bonum. Quare hic disputandum est, quid ad officium Magistratus pertineat, & quatenus debeat Magistratus impios cultus tollere. Respondeo igitur, Pertinet ad officium Magistratus prohibere impios cultus, sed tamen in ijs ecclesijs, quæ ad ipsius dominium & ius patronatus pertinent, non in alienis dominijs & alieno iure patronatus &c. Prior pars non est dubia, quod Magistratus in Ecclesijs pertinentibus ad suum dominium aut ius patronatus, debeat prohibere impios cultus, & restituere pios. Nam secundum præceptum Decalogi iubet

prohibere & punire blasphemias, pertinet autem hoc præceptum etiam ad magistratum, ut in sua uocatione prohibeat blasphemias, & Magistratus custos esse debet non tantum secundæ tabulæ, sed etiam primæ, quod ad externam disciplinam attinet. Constat autem impia dogmata & impios cultus blasphemias esse, Quare non dubium est, quin magistratus debeat prohibere talsam doctrinā & impios cultus. Sed hæc pars non habet magnam controuersiam. Illud disputatur, ubi Magistratus debeat uti officio suo.

At uane iactant plerique se in terris suis plenam habere potestatem tam Papalem quam Imperialem.

De hac parte respōdeo, ut de cæteris quæ ad officium Magistratus pertinent, ut in alijs casibus, ita & in hoc negotio Magistratus non debet irumpere in aliena dominia, sed tantum uti officio suo intra suum dominium. Quia Petrus uerat inuadere aliena officia, & Paulus iubet unumquemque suæ uocationi inseruire. Et Euangelium prohibet seditiones, Hoc est, prohibet arma capere, aut uim corporalem exercere aduersus alienos prætextu Euangelij. Quare non debent Magistratus Christiani exercere suum officium in alienis dominijs, sed suis. Certe prætextu Euangelij irumpere in aliena dominia, & uti uim corporalem in alieno, pugnat cum Euangelio, quia Euangelium prohibet seditiones, ut dictum est. Ut igitur nulli Principi, prætextu Euangelij licet occupare dominia uicini principis, aut in eius dominio aliquid constituere, Ita nec Ciuitatibus licet occupare Ecclesias illas, quarum dominium & ius patronatus prorsus nihil pertinet ad ipsas ciuitates, sed immediate pertinet ad Cæsarem. Nunc enim secludenda est in hac disputatione autoritas Ro. Pontificis, qua seclusa, si talis Ecclesia Cathedralis uacua fuerit, constat eam futuram simpliciter Cæsaris, & non Ciuitatis. Ergo dominium talium Ecclesiarum seu ius patronatus pertinet ad Cæsarem, & non ad ipsas

Quo autem iure secluditur autoritas Ro. Pō

ipsas Ciuitates. Hæc igitur ratio est nostræ sententiæ. Nulli licet irrumperere in aliena dominia. Magistratus, cum officium suum uolunt exercere in Ecclesijs illis Cathedralibus, exercent potestatem suam in alieno dominio, Ergo exercent potestatem suam, ubi non opus est. In hoc argumento intelligimus maiorem propositionem concedi ab omnibus, sed negari minorem. Contendunt enim Ciuitates habere aliquam superioritatem super illas Ecclesias, quia in ipsis urbibus sitæ sint. In quibus senatus habet merum imperium. Ad hoc respondemus. Quamquam sitæ sint Ecclesiæ istæ in urbibus, tamen non propterea pertinet dominium aut ius patronatus ad urbes, sed immediate ad Cæsarem. Iam enim secluditur autoritas Pontificis. Sicut ipse Cæsar in pacificationibus secludit, cum permittit Principibus, ut in suis dominijs ordinent Ecclesias. Hic enim omittit autoritatem Pontificis, & significat se loqui de his Ecclesijs, quarum dominium aut ius patronatus immediate pertineret ad ipsos Principes, si istæ res non essent sacræ, ut uocantur. Quod autem dominium aut ius patronatus Ecclesiarum Cathedralium non pertineat ad Ciuitates, inde intelligi potest, quia si (ut dixi) fierent uacua, non succederent Ciuitates, sed Cæsar immediate succederet, siue quia fundator est, siue propter alias causas, Quod autem sit ius fundatoris, non est obscurum.

Quamquam igitur fortasse subtiles aliquæ rationes contra hoc excogitari possint, tamen existimamus hanc esse simplicem ueritatem. Et certe sic iudicant omnes status in Imperio quod tales Ecclesiæ non pertineant ad Imperium aut ius patronatum. Ciuitatum, sicut Parrochiæ fundatæ ab ipsis Ciuitatibus, aut Monasteria à ciuitatibus condita, aut sicut Parrochiæ

quas

Plerique de facto irrumperunt, & consueuunt eos de hoc non arguunt.

Vnde certum desinit ius dicitur, si qui neque legibus neque canonicis obediunt.

quas conferant Principes, ad eorum dominium & ius patronatus pertinent. Decet autem nos in his politicis rebus sequi interpretationem ipsorum Principum bene sentientium. Et quia uidetur hæc controuersia habere aliquid ambigui, prodesset, fœderatos habere iustam deliberationem, & adhibitis prudentibus bonis & doctis uiris, statuere, quatenus liceret Magistratibus uti suo officio in talibus casibus, ut certo scirēt singuli, quousq; progredi liceret. Nam propter incertam opinionem non accersendum est certum periculum. Et quàm graue sit conscientijs, sine necessaria causa motibus publicis occasionem præbere, Quam periculosum sit, omnes prudentes norunt. Igitur prodesset, istos fœderatos hanc rem diligenter deliberare.

Nos non disputamus de præteritis factis, Quia enim Cæsar concessit qualemcumq; pacem, præterita dissimulat, Sed de futuris disputamus, & de ipso iure. Et in talibus negocijs ambiguis, unde facile possunt exoriri ingentes motus, prodest etiam minus audere, sicut mediocritas in uirtute semper minori numero uicinior est. Et cum ad ministerium Euangelij non pertineat, ut aliqua corporali uti, præcipue decet concionatores de hac re moderate loqui, nec sumere sibi omnino iudicium de rebus politicis, sed etiam audire illorum iudicia qui discrimina dominiorum intelligunt.

De Cathedralium Ecclesiarum dominio Pro et contra.

Multa præterea obijciuntur, Primum, de periculis seditionum & alijs. Cum enim relinquuntur in una urbe dissimiles cultus, confirmatur aliquorum pertinacia, existunt factiones & dissensiones. Agnoscimus hæc pericula, sed non concedendum est ius magistratui in alienum, Nec incerta pro certis asseueranda sunt. Et his periculis occurrant Concionatores fideliter docendo.

Secundo, allegant quidam, has Ecclesias habere curam animarum



animarū quæ pertinent ad ciuitatem, sed hinc nondum potest effici, quod dominium templi, aut Ius patro. ad ciuitatē pertineat, si ciuitas non uult uti illorum sacerdotum ministerio, quærat alios ministros & alia templa.

Tertio, de protectione allegatur, quod à Senatu defendant illa Collegia, Neq; etiam hinc potest effici, quod propterea dominium aut Ius patro. pertineat ad ciuitates. Et quanquā nolo subtiliter disputare de hoc iure protectionis, Certe decet Magistratum cauere, ne ciuibus concedat licentia uim inferendi iniustam ullis hominibus siue inquilinis siue ciuibus. Et fortassis mandata Cæsaris deberent illos hospites tueri.

Quarto, Donata Ecclesiæ debent usibus eius loci Ecclesiæ relinquī. Hæc templa &c. donata sunt Ecclesijs harū urbium, Ergo urbes possunt, illa transferre pro suo iudicio ad meliores usus Ecclesiæ, Respondemus, Et si minor uera esset, tamen talis translatio non potest fieri contra uoluntatē superioris et ueri dñi, sicut etiā lex delegatis inquit. Deinde hæc fundationes propriæ non sunt donatæ ciuitatib. sed sunt peculiaris dominia, sicut ipsi Episcopatus. Et sunt factæ fundationes non horum locorum causa, sed ut essent ibi publicæ personæ seruaturæ ad ministracionem multarum Ecclesiarum, ut in scholis sunt publicæ personæ.

Quinto, Si Canonicus aliquis cædē faceret aut stuprū, nonne Senatus, qui solus habet gladiū, deberet eum punire, iuxta scripturā. Ergo ad hunc modū debet prohibere & punire blasphemias. Hoc argumentū propter immoderatas libertates speciosum est, sed tamen hæc ratio non efficit, quod necesse sit capere Iurisdictiones ordinarias Collegijs aut Episcopis. Nam Canonicus ille habet suos Iudices, qui si sunt negligentes, tamen sine autoritate superioris Domini, non sunt occupandæ res eorum. Quod uero dicitur, neminem in tali

Miscell. Lib. III. Tract. VIII.

ciuitate habere ius gladij præter Senatum, non facit ad propositum, quia collegia habent suas Iurisdictiones & poenas. Deinde dissimilitudo est, Aliud est occupare templa & res Cæsaris, aliud est punire aliquã personã in aliq̃ crimine notorio. Item hæc negocia religionis dissimilia sunt notorijs criminibus, quia habet adhuc obscuras & magnas controuersias. Et alius est modus procedendi de rebus quæ uocantur in dubium, alius de criminibus notorijs.

Postremo, quanq̃ homines acuti multa in utranq̃ parte disputare possunt, tñ ambigua uitanda sunt, et eligenda certa. Hæc certa sunt, Magistratũ debere pios doctores suis populis præficere, & recte ordinare ecclesias, quæ pprie ad suũ dominiũ & Iuspatro. pertinent, satis habebit negocij si hoc fecerit. Alterum ambigũ est an debeant ordinare Ecclesias illas Cathedrales, cum non sit certum, pertinere ad ciuitates dominiũ earum aut Iurispatro. Nec nos uolumus esse auctores res incerti et ambigui cõsilij. Non est em̃ accersendũ piculũ sine certa & necessaria causa. Et hæc regula pia est, & utilis paci publi, ne quis irrumpat in aliena dominia.

Hoc bono animo scripsimus, & rogamus, ut boni consultant lectores. Deinde, si quibus hæc nõ satisfaciũt, rogamus ne properent, sed referant hanc tantam rem ad fœderatorum consilium. Est hoc quoq̃ Christianæ mentis, in rebus periculosis libenter explorare consilia prudentum & piorũ quia scriptum est, Non innitaris prudentiæ tuæ. Nec satis est in tantis causis habere Laicalia argumenta, sed ad eas adhibenda est singularis prudentia, & earum rerum doctrina quas causa complectitur.

Luther. Creutzinger. Pometanus. Philippus.

MISCELL